



Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

20. Dies Augusti. Sæpè homo, cùm estin se, non est secum. Chrysol.
serm. 5.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

Augustus.

Tessera.

651

ra ad Deum, his voculis: *O amabilissime Deus! Quomodo tu solus in me non vivis? aut quomodo ego non vivo in te totus, cum ames me? Dum noctu decumbis: O amabilissime Deus! quam dormis securè, pro quo vigilat Amor? Nullas metuo insidias, ubi Amor habet excubias? Dum animum relaxas: O Dilecte cordis mei gaudium, quia amoris mei delitium! da, ut amando te, semper sim hilaris; qui, offendendo te, meritiò sum tristis. Dum ad meditandum quid boni te disponis: Quid meditabor de te? O amabilissime Deus: aliud nihil, quam quòd sis amabilis, & in omnibus amabilis; in culpis, quas remittis; in poenis, quas mitigas; in erumnis, quibus expias; in beneficiis, quibus cumulas. Dum occurris divitibus: O quam dives, in dilecte! cui tu sufficis, Quam pauper, cui tu satis non es; O amor meus! quid extra te? quid ultra te quæram? Desint omnia, modo tu me, & ego te possideam. Dum ab aliis despicitur: O amor! amari à nihilo cupis, & ita quidem, ut sis paratus dare omnia, pro amore nihili. Quid dicam? Sum nihil, siam nihil, habeam nihil per amorem; ut tibi amato tribuam, quæ debeo omnia, Alias, quâcunque occasione: Utinam Deus! tantum te amarem, quantum aliquis in celo, & terra habentis amavit. Denique millies per diem: Quis mihi det infinita corda, quibus in infinitam aternitatem infinites te amem? Si dum spiras, sic aspiras ad cælum, & suspires ad Deum, piè expirabis, ut aeternum respices in Deo:*

Ad cælum aspirans, feliciter expirabit.

20. DIES AUGUSTI.

Sæpè homo, cum est in se, non est secum. Chrysol.
serm. 5.

Attentio 1.
in oratio-
ne.

In illo Sacrosancto, quod quis habet, dum orat, cum supremo Numine commercio, requiritur maxima animi Attentio. Cave igitur, ne cum es in te, non sis tecum. Mens hominis incredibiliter est mutabilis. Nec enim, qui corio suo ludit Chamæleon, tam est varius ascitiorum colorum mutatione, quam nostra mens, variegatis cogitationibus sparsa, & discriminata, Hinc exurgunt infimarum rerum imagines, quibus lux divina inobscuratur; Dei voces impediuntur, devotionis fructus carpitur. Hinc pudor animi imperfecti, qui velut totus in corpore dimerfus, & in carne obrutus sit; vix quidquam potest cogitare, quod non sit vanissimis imaginibus pictum, & vilium rerum cogitatione, veluti colluvie dehoneftatum. Quapropter ibi Divinam Majestatem offendit, ubi offensam debuisset sibi propitiare. Huc refert S. Gregorius, quod de muliere magnanima dicitur: (a) *Post dierum circulum, Annam contempse.* Quandam enim rationem agnoscit, & vertiginem animi aberrantis. Hoc verò circulo implexo, volatico, & labyrinthico dum agitur mens, in ipsa volubilitate sua nihil concipit, nullum edit fructum luce dignum; sed inanis in fordibus, & jejunitate tuahæret. Quid igitur miramur, aridos multos, sterilestque reperiri, qui nihil magnum, cœleste, divinum concipiant; cum perpetuò mens in humilium rerum affectu volutetur, & in circulo illo perenni absurdarum cogitationum circumrotetur?

II. Tunc verò homo, licet sit in se, non tamen est secum;

(a) *In l. i. Reg.*

secum; quia stultâ, & inutili peregrinatione exul est à se, & à Deo. Divinitas, ait S. Dionysius, ipsa quidem omnibus præsens est, non tamen ei præsentia sunt omnia; sed cum eam sanctis precibus, & tranquillâ mente, & apto ad divinam unionem animo appellamus; tunc denique nos etiam præsentem sumus. Colligenda igitur mens, & revocandus velut domum est animus, qui per infinita curiosissimè, & inanissimè palabundus vagatur. Sunt enim quidam, quorum animus, velut taberna est meritoria, quâ non tantùm homines, sed & brutæ animantes excipiuntur. Deprehendas in illis & superbos equos, & pigros asinos, & maculosos in cœno voluptatis porcos, hoc est, qui turbam omnium affectionum, & cogitationum suscipiant. Rusticorum prædiorum instar, lubentes, volentesque omne genus servitutum admittunt; iter, actum, viam, aquæductum. *Iter*, inquit Juris-consulti, est jus homini, commeandi in alienum prædium: *Actus*, agendi jumenta: *Via*, etiam vehicula inducendi: *Aquæ-ductus*, aquæ derivandæ. Ita in cor illud tot servitutibus obnoxium & humana se ingerunt negotia, & affectiones contrariæ Rationi; ut equus, & mulus commeant, & nugarum vehicula inducuntur; fædæ etiam fortè cloacæ, putentesque defluunt. Hoc igitur est imprimis oraculo providendum; ut animum ab omnibus illis impedimentis purget, & expediat, & tumultum cordis sedet; ut vim omnem, & devotionem adferat ad Dei cultum.

III. Timor Domini, qui officii sui unumquemque monere debet, sit incumbenti in præcationes; ut
in

qui attentionem, modestiam, reverentiam, & intimum animi silentium imperet. Quod si lubeat per immensa spatia, dum precaris, vagari; quid tam immensum, quam Dei immensitas? quocumque curris, illi occurris prompto tibi succurrere, si ad illum in necessitate recurras. Proderit, ut tempore orationis te contineas intra gyrum modestiæ; nec divageris, antè animum componere; ut sit sedatus, & disponere, cogitando, quid agas; quò tendas, quid intendas cum quo agas, cui sis locuturus; & quid, & quomodo cum eo locuturus. Quapropter, cum oratio sit negotium omnium negotiorum negotiosissimum, quia est cum suprema Majestate de negotiis summi momenti colloquium: quisque, prius quam illud aggreditur, & locum oraturus ingreditur, imitetur D. Bernardum, cujus hodie dies est sollemnis, cui oratoro familiare erat dicere: Veniens ad Ecclesiam, pone manum super ostium, & dic: *Expectate hic cogitationes male, intentiones, & affectus cordis, & appetitus carnis. Tu autem, anima mea, intrain gaudium Domini, ut videas voluptatem Domini, & visites templum eius.* Si hoc modo imiteris Bernardum, excipiet Deus tuam orationem, sicut sit violentem nar dum. Itaque, dum oras, totus attende illi, qui totus intendit tibi. Decet enim oraturum.

Numen ad immensum, totum convertere sensum.

21. DIES AUGUSTI.

Magna est miseria, superbus homo; sed major misericordia, humilis Deus. *S. August. de Catech. rudib. c. 4.*